

Le texte proposé ici est le fruit du collationnement de l'édition publiée à Cambridge, en 1633, et d'une autre, parue en 1869.

AMICISSIMO ET CANDIDISSIMO EDUARDO BENLOWES SE ET SUA PHIN. FLETCHER

S1_01 v.1 Quae jam, quae vati restant dicenda recenti ?
 2 Quis mihi materia est heros, quis praemia Musae ?
 3 Omnia praeripuit melior nascentibus aetas.
 4 Quis te, quis pelagus nescit tentasse profundum,
 5 Typhi, et compactis (parva heu discrimina !) ligni
 6 moenibus impositum fremitus sprevisse marinos ?
 7 Quisve iterum Musis melius cantata secundis
 8 Pergama ? Vosque etiam felicibus, Arcades, arvis
 9 pastores, vel te celebratae, Mantua, glebae ?
 10 Te, Naso, te omnes, teneri praeceptor amoris,
 11 agnoscunt puerique ducem, innuptaeque puellae :
 12 quin fixos super appendens modo retia remos,
 13 Italicus scopulos inter piscator, et undas,
 14 Parthenopae canit, et piscosae Mergilinae.
 15 Si tamen aut Phyllis nobis, sive esset Alexis,
 16 (quid tum si nigrior Phyllis, si durus Alexis ?)
 17 Ipse ego seu platano, seu levis cortice fagi
 18 Phyllida crudelem, et saevum moriturus Alexin
 19 imprimerem, et duros resonarem laesus amores.
 20 Audiet, immitesque ipsum miserebitur ignes,
 21 et streperum duplici recinet nemus omnia voce.
 22 Jam tantum longe (si fas) vestigia vatium
 23 tanta lego, tacitusque sequor non passibus aequis,
 24 Tu modo nascenti (si fas tibi credere) vati,
 25 tu faveas, primoque adsis, Edovarde, labori,
 26 quem teneras subter vites salicesque recurvas
 27 ignoti Chamo cecinit nova fistula vatis.
 28 Saepe ego neglectas volui depellere, saepe
 29 paenitet, et toto redeuntes pectore Musas
 30 accipio, inque animum flatum admitto secundos.
 31 Ah ! Mihi muscosos fontes, lucosque sonantes
 32 inter, et errantes tutis sub vallibus agnos
 33 contingat pigram lente properare senectam !
 34 Ipse ego festivo balantes carmine matres
 35 ducam, quas circum agglomerant, luduntque per herbam,
 36 et summum excutiunt agni de gramine rorem.
 37 Dux gregis anteibit, lateque audita superbus
 38 concutiet moto mihi tintinnabula cornu.
 39 Ipse ego nocte feram, et spisso sub vimine claudam :

40 fronde super viridi, vilive effusus in ulva
 41 prosternar, totumque traham sub pectore somnum.
 42 Fida simul conjux, et non incerta recumbat
 43 circum progenies, nec falso nomine patrem
 44 dicat, onus collo mihi gratum humerisque reponat.
 45 Det Deus in silvis cantando amnesque gregesque
 46 inter deficiam, et media inter pascua solvar :
 47 silva mihi tantum vita esto, silva sepulchrum.
 48 Sic pigra Maeandri morituro ad flumina cantu,
 49 Eridanive sedens violenti gramine, carmen
 50 postremum albus olor vitam cum carmine fundit ;
 51 exsequiasque canens felicem illabitur urnam.

ELEGANTISSIMO POETAE PHIN. FLETCHERO CALAMUM AURATUM MITTIT A. G.

S1_02 v.1 Mitto tibi auratum calamum, quia singula scribis
 2 aurea : sic palmae debita palma tuae.
 3 Nondum abscissa tamen cuspis, neque penna peracta :
 4 nam tu, quo fiat cuspis, acumen habes.

SILVA POETICA

IN THERMAS BATHONIAE

S2_01 v.1 Ignis aquam duxit. Confide, puella : vel igne
 2 sit puer asperior, deperit ignis aquam.
 3 Igni nupsit lympha. Puer, confide : sit unda
 4 frigidior virgo, deperit, ardet aqua.
 5 Concipit amplexu flammae, et parit unda salutem.
 6 Speretis steriles ; ignibus unda parit.
 7 Hic ubi fecundant ignes, uruntur et undae,
 8 progeniem sterilis speret, amansque torum.

IN NOCTILUCAM, ET NIMIUM MODESTOS

S2_02 v.1 Quid tuas retegis nimis tegendo,
 2 noctiluca, faces ? Pates latendo.
 3 Ipsa es sphaera tuae comesque stellae :
 4 diem si repetis, die latebis.
 5 Non te nox tenebris tegit fovendo,
 6 sed te nox latebris tegendo prodit.

IN LUPUM PASTORALIBUS MUSIS MALEDICENTEM

S2_03 v.1 Cur tibi displiceant, Lupe, carmina nostra, rogasti :
2 est, Lupe, pastoris displicuisse lupo.

ALIAS

S2_04 v.1 Nostra alii laudant, Lupus odit carmina : recte ;
2 pastoralis erat versus, et ille lupo.

IN NASUTUM

S2_05 v.1 Quid nasum densis cingit diadema pyropis ?
2 Rex hic nasorum est : quis diadema negat ?

IN HOMUNCIONEM IGNITER ATQUE INSIGNITER NASUTUM

S2_06 v.1 Lymphas, socii, spargite lymphas.
2 Maximus ille, (heu !) Lucidus ille,
3 multa extensus facie, gemmis
4 dives, flammiferoque pyropo,
5 timeo (ah !) timeo, jam periturus :
6 magno nasus carpitur igne.
7 Pinguem intus praecordia limum
8 inflammantur : subitoque volans
9 omnia fatuus corripit ignis.
10 Jamque immensis pinguis flammis
11 sorbens ilia, culmina noto
12 petit ascensu : atque omnia late
13 populans, scapulas ferus arentes
14 lambit, siccaturumque cerebrum.
15 En ! Nigrantes vortice fumi,
16 undansque fluit nidor ab ore.
17 Lymphas, socii, effundite lymphas.
18 Plurimus ille, (heu !) Succidus ille,
19 nasus tremulus, nasus hiulcus,
20 turriger ille, (ah !) arduus ille,
21 undique vasto carpitur igne.
22 En ! Ignis dominatur ubique
23 fatuus : nasum seligit ignis,
24 interiores fatuus sedes.

IN ASOTUM

S2_07 v.1 Dum Gnatho blanditiis Asotum et creditor urgent,
2 illi rem praeceps, huic modo verba dabat.
3 Nil restat : jam rem, jam verba, Asote, dedisti ;
4 mox poenas (nil te, nil ego posco) dabis.

IN MIMUM VIVUM SEPULTUM

S2_08 v.1 Saepe jacet potu Mimus vinoque peremptus :

2 saepe iterum vitam semiseputus agit.
 3 Mors stupet : et quoniam rursus, tam saepe sepultus,
 4 vivit, jam vivum (vae misero !) Sepelit.

IN EUNDEM

S2_09 v.1 Vino sepultus vixerat, vivus perit,
 2 moriturque vivus Mimus vita mortuus.
 3 Si voluit altus Arbiter : jam conditur
 4 vivus sepulchro, qui sepultus vixerat.

IN EFFIGIEM DUCISSAE MATRIS ET PARVULUM DUCEM

S2_10 v.1 Cur, puer, hic toties, cur oscula, Cyprie, fingis ?
 2 Et mater tantum quod silet ista, gemis ?
 3 Aspice ; non est haec, non est tibi Cypria mater :
 4 majus in hoc matris numine numen inest.
 5 Respicias ? Et juras Cypria esse haec corpora ? Dempto
 6 corpore, jam matris nil habet, Anna, tuae.
 7 Nonne vides, ut equo gaudens atque ense decoro
 8 matrem anteit Cypriae Cyprius alter Amor ?
 9 Arrides ? Geminumque agnoscis, Cyprie, fratrem ?
 10 Non est hic, non est, Cyprie, frater Amor.
 11 Respicias ? Et magis adjuras ? En matreque, teque
 12 suavior haec mater, suavior ille puer.

ANA- (ELISA VINCENTA) -GRAMMA
 (NE LAESA VINCIT)

S2_11 v.1 Vincenta quod sim victus victrice, placebat ;
 2 quod ne laesa quidem vincit Elisa, dolet.

AMICAE DECEDENTI

S2_12 v.1 Quo mea, quo properas (heu !), lux mea ? Quanta resurget
 2 nox mihi, cum media, lux mea, luce cadis !

IN PHAONIUM

S2_13 v.1 Vocem Phaonius sequitur, vestemque Catonis :
 2 sermo quidem, sed non vita Catonis erat.
 3 Sic sedit, sic cultus erat, sic ora recludit,
 4 humentem nudo sic pede pressit humum.
 5 Non ita vivebat rigidus Cato, non ita morum
 6 compressit forti frena reducta manu.
 7 Sic tantum vestes imitatus et ora, Catonis
 8 simia Phaonius, non imitator erat.

IN CERTAMEN PAPAE PAULI CUM VENETIS

S2_14 v.1 Petri, Papa, crucem, superbus ense

2 Pauli fers, Venetis ferox minatus.
 3 Crux palmam tibi, Paule, pollicetur ;
 4 illis sed gladius necem ominatur.
 5 At si Paulus eris Petrusque, Paule,
 6 non tu, Paule, premes ; premeris ense.
 7 Non tu, Paule, crucem feres : feret te.

IN MELISSAM

S2_15 v.1 Saepe me crucias rogando, cur non
 2 ut te olim colui, colo, Melissa,
 3 cum tu pulchra magis, magis venusta es.
 4 (Ah !) tu pulchra nimis, nimis venusta es.
 5 Nostro non opus est, Melissa, cultu,
 6 cum tu te nimium colis, Melissa.

IN LUNETTAM

S2_16 v.1 Est manus, est facies Veneris, nomenque planetae ;
 2 sunt mores Veneris, mens quoque, tota Venus.
 3 (Ah !) Precor, ignoscas dicenti. Non ego quod sis
 4 tota Venus, quod sis tota venusta, nego.

IN LUNETTAM ET FILIUM

S2_17 v.1 Si vitam matris videas, si nomina nati, est
 2 mater parte Venus, parte Cupido puer.
 3 Deme oculos, et totus erit puer ille Cupido ;
 4 adde decus Veneris, tota erit illa Venus.
 5 Sed quia forma deest matri, sunt lumina nato,
 6 parte Cupido tu, tu nisi parte Venus.

CHARISSIMO FRATRI AEGIDO, ETC.

S2_18 v.1 Quid, o quid Veneres, Cupidinesque,
 2 turturesque, jocosque, passerisque
 3 lascivi canitis greges, poetae ?
 4 Et jam languidos amantum ocellos,
 5 et mox turgidulas sinu papillas ;
 6 jam fletus teneros, cachinnulosque,
 7 mox suspiria, morsiunculasque,
 8 mille basia, mille, mille nugas ?
 9 Et vultus pueri, puellulaeve
 10 (heu fusci pueri, puellulaeque !
 11 Pingitis nivibus, rosunculisque
 12 mentitis nivibus, rosunculisque)
 13 quae vel primo hyemis rigore torpent,
 14 vel Phoebi intuitu statim relanguent ?
 15 Heu stulti nimium greges, poetae !
 16 Ut, quas sic nimis, (ah !) nimis stupetis,
 17 nives candidulae, et rosae pudentes,
 18 sic vobis pereunt statim labores,

19 et solem fugiunt severiorem,
 20 vel saltem gelida rigent senecta.
 21 At tu, qui clypeo haud inane nomen
 22 (Minervae clypeo, Jovisque) sumens,
 23 victrices resonas Dei triumphos,
 24 triumphos lacrimis, metuque plenos,
 25 plenos laetitiae et spei triumphos,
 26 Dum rem carmine, Pieroque dignam
 27 a<cced>is ; tibi res decora rebus
 28 praebet carmina Pieroque digna.
 29 Quin ille ipse tuos legens triumphos,
 30 plenos militia, labore plenos ;
 31 tuo propitius parat labori
 32 plenos laetitiae, et spei triumphos.

AD IESUM SERVATOREM

S2_19 v.1 Ruina caeli pulchra, jam terris decus,
 2 Deusque ; proles Matris innuptae, et pater
 3 sine matre natus, sine patre excrescens caro ;
 4 quem nec mare, aether, terra, non caelum capit,
 5 utero puellae totus angusto latens,
 6 aequaevus idem Patri, Matre antiquior ;
 7 Heu domite, victor, et triumphator ; tui
 8 opus, opifexque, qui minor quam sis, eo
 9 major resurgis : vita, quae mori velis,
 10 atque ergo possis ; passa finem aeternitas,
 11 quid tibi rependam, quid tibi rependam miser ?
 12 Ut, quando ocellos mollis invadit quies,
 13 et nocte membra plurimus Morpheus premit,
 14 avide videmur velle de tergo sequens
 15 effugere monstrum, et plumbeos frustra pedes
 16 celerare, media succidimus aegri fuga ;
 17 solitum pigrescit robor, os quaerit viam,
 18 sed proditurus moritur in lingua sonus :
 19 sic stupeo totus, totus haeresco, intuens
 20 et saepe repeto, forte si rependerem.
 21 Solus rependit ille, qui repetit bene.

IN IMAGINEM CHRISTI A PAPISTA CULTAM

S2_20 v.1 Qualem homo mendaci te fingit imagine, talem
 2 non ego te aspiciam ; non ego, Christe, colam.
 3 Qualis divino fulges, dulcissime, verbo,
 4 talem ego te aspiciam ; talem ego, Christe, colam.
 5 Errat, qui placitis hominum divina requirit :
 6 qui Verbum in Verbo quaeritat, inveniet.
 7 Non caro carnali prodest ; quid carnis imago ?
 8 Spiritui gratus spiritualis erit.
 9 Spiritu ego venerer : qui farris imagine fingunt,
 10 et pingant carnem, Christe, vorentque tuam.

IN EFFIGIEM ACHMATI TURCARUM TYRANNI

S2_21 v.1 Achmati effigiem spectas, qui tertia patri
 2 progenies, puer imperio successit avito.
 3 Sic acri validis juveni micat integra membris
 4 aetas, et rara malas lanugine spargit :
 5 sic vultu, sic ille oculis, sic fronte minatur.
 6 Non luxu, choreisve puer, non ille paterna
 7 desidia gaudet ; sed bella, sed aspera cordi
 8 arma sedent, saevamque superbia Turcica mentem
 9 inflat, et ingentes volvit sub corde tumultus.
 10 Aut is veliferis aptabit classibus alas,
 11 aut galeas finget, clypeosque, et fulmina belli
 12 tormenta, impositis strident incudibus aera.
 13 Et nunc ille ferox Persas Asiamque rebellem
 14 subjiciens, totum spirat sub pectore Martem.
 15 Exsultansque animis multa se suscitatur ira.
 16 Heu ! Quae Christicolis clades, quam debita pestis
 17 immineat ! Quantus tanto timor instat ab hoste,
 18 ni tu, Christe, malum avertas, tu fulmina, Christe,
 19 dispergas, et vana manu conamina ludas.

IN RIDERI DICTIONARIUM A FRANCISCO DE SACRA QUERCU NUPER AUCTUM

S2_22 v.1 Pani coniferae pinus, sua vitis Iaccho,
 2 clavigero placeat populus alta deo ;
 3 Phoebus amet vegetam, quamvis sub cortice, Daphnen ;
 4 sint grata Alcinoi splendida poma suo,
 5 et bene connexas lauro Venus ignea myrtos
 6 seligat, atque oleas docta Minerva suas.
 7 At tu, docte puer, quercum venerare sacratam :
 8 sit tua, quam mavult Jupiter esse suam.
 9 "A Jove principium Musae" : Jovis arbore gaudent
 10 ipsae Pierides, Pieridumque pater.
 11 At tu qui primis signas vestigia plantis
 12 et dubio in Latium coeperis ire pede ;
 13 hic tibi de sacra repetes oracula quercu :
 14 hic, quae Dodonam vicerit, arbor erit.

IN ELECTIONEM COLL. TRIN. CARMEN

S2_23 v.1 Siquis arenoso committit semina sulco,
 2 non reduces fruges, et sua damna serit :
 3 nequicquam ille sibi rupturas horrea messes,
 4 et sata de sterili ditia sperat humo.
 5 Sin pingui mandet quamvis mala semina campo,
 6 et fovet adjecto languida culta fimo.
 7 Fecundam arva stupent messem, silvamque sonantem ;
 8 et compressa gravi pondere plaustra gement.
 9 Sic, si, quo primum fueram, me conditis arvo,
 10 nulla seges veniet, gramina nulla meo.
 11 Si laeto inseritis sulco, mihi plurima surget,
 12 et non ingenii despicienda seges.

13 Atque utinam ex vobis unus, quamquam ultimus, essem !
 14 Non est postremi gloria parva loci.
 15 Quae Jove prognatas inter sedet ultima Musas,
 16 inter terrigenas est dea prima deas.

IN EANDEM

S2_24 v.1 Quae saxis, siccaque arbor flaccescit arena,
 2 propter aquas si quis fecundo transtulit arvo,
 3 naturam exuerit silvestrem, et laeta sequetur
 4 in quamcumque jubes artem, sive aurea mavis
 5 poma, et lunatos fecundo pondere ramos,
 6 sive umbram, et densa captabis frigora silva.
 7 Sic nostrum quod jam primum sub palmite germen
 8 surgit, et exiguas ausum est extrudere frondes,
 9 crescet in immensum, si succos forte salubres,
 10 atque novo dabitur firmatum inolescere trunco :
 11 crescet, miscebitque ingentes aethere ramos.
 12 Nec vos Caucaseo fecundae in vertice Musae,
 13 nec Geticas colitis glacies, nec frigora Rheni.
 14 Illae Parnassi, umbrosive cacumina Pindi,
 15 Arcadicave tenent jucundo frigore silvas :
 16 hinc tempestivam praebet cantantibus umbram
 17 populus ; hinc Helicon, atque Aonia Aganippe
 18 labuntur, veteremque probans pulcherrima formam
 19 Castalis, (ah !) Phoebum necquicquam, ignesque puella
 20 duros effugiens, jam puro argenteus amne
 21 fons fluit, et Phoebus et Musis gratissima lympha.
 22 Eripe (namque potes) sterili mea semina sulco :
 23 da pingui infigi gleba. Quamvis rude surget
 24 ingenium, mentisque excrescet semen adultae.

DOMINO OBSERVANDISSIMO H. W. VENETIIS AGENTI

S2_25 v.1 Ite meae, (miseri felix opus) ite tabellae,
 2 aeras vos forte Alpes, longumque remensae
 3 Neptunum Venetas faustae spectabitis arces ;
 4 arces, et medio crescentes aequore muros.
 5 Vos etiam ora illic, sine me, carissima nobis
 6 ora, manumque illam, quam nos super omnibus unam
 7 ardemus, sine me, solae tangetis, et ipsos
 8 sermones (ah felices !) et verba feretis.
 9 At vos ne sitiens vasto Neptunus hiatu
 10 sorbeat, (heu ! Geminae quo olim periire sorores,
 11 multa quibus dederam mandata, sed horridus Auster
 12 omnia per nigras diffuderat irrita nubes)
 13 ne vos Neptunus letalibus hauriat undis,
 14 aut Aquilo in tenues adversus dissipet auras.
 15 At tu cognatum Veneta mihi sidus in urbe,
 16 (si tibi regales indulgent otia curae)
 17 aspicias ut Veneres anni Mars horridus infert :
 18 en tragice veris primordia comica turbat
 19 Martius, et numquam placidis irascitur undis.
 20 Jam nova rursus hiems rediit, Zephyroque repulso,
 21 perpetuas nubes tempestatesque reducit.

22 Piscis iners mensi, mensae, caeloque, soloque,
 23 Piscis iners regnat, prohibetque immania ponti
 24 regna pati, terretque rates pluviosus aduncas.
 25 At tu, si jubeas, jam nunc ego nescius undae
 26 imperium, fremitusve umquam tentare marinos,
 27 jam nunc aggrediar ; Venetas spectabo carinas
 28 et te, qui multo Veneta es mihi carior urbe :
 29 ipse ego linigeris (jubeas modo) pulsus ab alis,
 30 lignatoque invectus equo, Boreaeque tumultus,
 31 Aeoliasque minas spernam, pelagique furores.
 32 Atqui hic interea Chami flaventis ad undam,
 33 dum tua per medias lentus delapsa procellas
 34 jussa moror, varios cura est ediscere ventos,
 35 crescentesque magis Phoebi renovare labores.
 36 At tu quod longa effundunt jejunia carmen
 37 (ah miserum !) accipias, et munus inutile, semper
 38 quem dederam, et semper dandus tibi restat, amorem.

AD GUL. WOODFORDUM CANTIAE AGENTEM

S2_26 v.1 Jam tepidos Phoebus spargit mitissimus ignes,
 2 atque inter Geminos medius, Cancrumque rubentem,
 3 plurima producit tardo vestigia gressu.
 4 Aspicias ? Umbroso crinescunt vertice fagi ;
 5 sub ramis latitans reducem philomela querelam
 6 exercet, fletusque inter, cantusque. Sonoros
 7 mitior indulget natos, et laeta laborum
 8 congerit in teneros gaudens stramenta penates.
 9 Nos inopaca premit vicini Cambria solis ;
 10 nos Musis invisata salix, et pervia Phoebus
 11 fraxinus (heu !) rara fallit sub fronde sedentes,
 12 et nimio prodit languentia corpora soli.
 13 At si me aereo teneat Winsoria colle,
 14 sive Aetonenses, (ah !) nostra crepundia, Musae,
 15 seu natale solum densatis Cantia silvis,
 16 vel quaecumque colam (strepitu se junctus, et urbe)
 17 rura, juvet tecum pratis errare serenis,
 18 et sub pubenti pariter considerare fago.
 19 Interea nymphas nobis, Gulielme, saluta,
 20 quas tibi vicino jactat mea Cantia rure.

VERITAS OMNIS COGNITIONIS EST IN JUDICIO

S2_27 v.1 Cum jam rerum animus primas ex lumine formas
 2 accepit, nec judicii sub regna remisit,
 3 apparet facies veri ; commistaque falsis
 4 forma boni obscuros deludit imagine sensus.
 5 Ut quando exigua variatur luce, diemque
 6 nec totum admisit, nec totum depulit umbras,
 7 falluntur dubio decepti lumine sensus,
 8 et delusa acies tremula sub luce labascit.
 9 At cum judicii solio (cui certa sacrandi
 10 sceptrata animus, verumque dedit discernere falsis)
 11 sistitur, ipsum animo verum, perfectaque rerum

12 effigies lucet, tenebrasque resolvit inanes.
 13 Ut quando furvis terras nox implicat ulnis,
 14 omnibus unus erat vultus, color omnibus unus ;
 15 perfectum retinent reduci jam sole colorem.
 16 Nam cum mens recipit speciem, interiusque recondit,
 17 ordine secernit causas, aptatque futuro
 18 semina iudicio, mox pensitat omnia solus ;
 19 falsaque denudat iudex, verumque reponit.

MORS EST MALUM

S2_28 v.1 Laudat, qui nescit mortem, noctemque profundam,
 2 et quos nec strepitus turbant, nec somnia somnos.
 3 At qui vicinae propior jam limina mortis
 4 ingreditur, durique videt penetralia Ditis,
 5 horret nigrantes perculso lumine manes.
 6 Sic qui formosa descriptum forte tabella
 7 auro fulgentem liquido, argentoque leonem
 8 spectat, crispatasque juba, et eburnea rictus
 9 claustra, stupet laudans ; ipsum si forte ruentem
 10 aspicit, horrescit tremulus, moriendoque mortem
 11 antevenit, vivusque perit, vivitque sepultus.
 12 Qui laudat mortis, laudat secunda, timetque
 13 regna, et prodit iners manifesto dicta timore.
 14 Omnibus idem amor est vitae, et vitatio mortis
 15 omnibus. Esse puer juvenis, primosque relabi
 16 annos posse cupit. Florentem aetate juventam
 17 prona simul tacite miratur, et invidet aetas.
 18 Hanc querulus laudat senior, roburque virile,
 19 et profugas revocat vires, semperque futurum
 20 sperat, promittitque sibi jam mortuus annum.

GLADIO PONTIFICIO VITA PRINCIPIS NON PERMISSA

S2_29 v.1 Quid gladios, quid, Papa, Jovi data fulmina torques ?
 2 Petri siste enses, Eliadisque memor.
 3 Sumere qui jussit Petrum enses, ponere jussit ;
 4 cur major vero es, cujus es umbra, Petro ?
 5 Pasce meas, o, dixit, oves ; pasce, addidit, agnos :
 6 pasce meas, iterum, ter quoque dixit, oves.
 7 Nullus mactandi locus est : quid sceptrum, quid enses ?
 8 Sume Petri claves, Propetre, sume pedum.
 9 Regi sceptrum Deus, regi sacra verat enses :
 10 quae regis regi redde, Deique Deo.
 11 Cum nil proficeres, deponis inutile ferrum :
 12 nec gladio regem, sulphure regna petis.
 13 At tu, summe novum sceleri, Pater, adde profundum :
 14 Tartarus huic uni non satis unus erit.
 15 Vestem vix Regis secuit, doluitque resectam,
 16 qui sceptrum Princeps, scripta Propheta tulit.
 17 Frustra igitur Paulique, Petrique, enseque, crucemque
 18 jactas : hic gladio concidit, ille cruce.

ERGO

19 Si Petrus es, Paulusque, cruci pendebis apertae :

20 non pendes : pereas, non ferias gladio.

ANNI TEMPORUM MUTATIONES VARIORUM CAUSA MORBORUM

S2_30 v.1 Non tam multi Adrio saliunt in littore fluctus,
 2 quam variae (heu miseros !) humano in corpore pestes,
 3 pallentesque habitant morbi, nec semita mortis
 4 simplex saepe vices mutant : quot sidera regnant,
 5 tot terris morbi imperitant. Cum splendidus annum
 6 primo vere Aries cornu, Taurusque recludunt,
 7 mille cutim papulae, mille exanthemata pingunt.
 8 Nam propior tepidos inspirans Cynthus ignes,
 9 humorem allectat putrem, multoque rebelles
 10 internus fervor trudit conamine succos.
 11 At Leo cum duras Nemeaeus fuderit iras,
 12 flava tumet bilis, fluctuque expumat amaro ;
 13 multa furit pestis ; flammis diaphragma subactis
 14 uritur, et sociis cerebrum fervoribus ardens,
 15 incendit furias, mentemque exturbat inanem,
 16 aut misera ardentes febris depascitur artus.
 17 Non me illis quisquam Baccho indulgere diebus,
 18 non Cereri, aut moneat longo contendere cursu.
 19 Excipit Autumnus, medios cui frigidus aestus
 20 Hesperus, et primis claudens Aurora pruinis,
 21 vexat inaequali nutantia corpora caelo.
 22 Namque atrum multa ferventem aestate cruorem
 23 reppulit, atque aditus frigus concludit inertes.
 24 Informes aegro subeunt in corpore morbi,
 25 et mens succumbit timidis offusa tenebris.
 26 At mox, cum averso squalescunt omnia sole,
 27 aut nimio insuetus cruciatur frigore pulmo,
 28 tussis crebra latus, faucesque elidit anhelas,
 29 aut cerebrum frigus scandens, et candida multis
 30 regna offundit aquis ; conspirat inutilis humor,
 31 et sensus premit effetos, animumque catarrhus.

NISA ECLOGA

S2_31 v.1 Forte sub umbrosa, silvarum principe, fago
 2 sedit, et infidos gemuit Wiliulmus amores.
 3 Disruptum fidei vinclum, versosque hymenaeos
 4 flebat, caelum amens et conscia sidera questus.
 5 Non illum gemini, pastorum gloria, fratres,
 6 cantibus experti juvenes, levibusque cicutis,
 7 non qui mille greges placidis sub vallibus errant,
 8 solantur : juvat usque aegro indulgere dolori.
 9 "Vos (inquit) quae hic incidi, vos fagina testes
 10 carmina, vos, nemorum petulantia numina, fauni,
 11 Fauni, et silvicolae Faunorum incendia Nymphae,
 12 et deus Arcadicis, Pan, non leve numen in arvis ;
 13 diique omnes, divaeque, tori quibus omina curae,
 14 cum dextram dextrae implicuit, cum lumine nostros
 15 dejecto intrabat, quos jam fugit improba, lectos.
 16 **Nisa redi, thalamosque fugax ne desere pactos.**

17 Non ego perjuræ, quæ tu mihi dura ferebas,
 18 tuque, paterque tuus, memini convicia linguæ,
 19 non emptas legum rixas, turpesque loquacis
 20 risus plebis, et infamis mala vulnera famæ.
 21 Non, cum me inconstans fugeres, jussa impia matris
 22 certa sequi, tenerosque odiis abrumpere amores.
 23 Quin ego te contra precibus, mea crimina supplex
 24 oblitus scelerum, sed non oblitus amorum
 25 Reppetii, si forte animum, si forte vagantem
 26 ad solitas iterum flammæ, thalamosque reducam.
 27 Ah ! dixi, quamvis scelerata, revertere Nisa :
 28 **Nisa redi, thalamosque fugax ne desere pactos.**
 29 Quam lasciva fugis ! Non me festina senectæ
 30 mordet hiems, capitisve nives, longive per ora
 31 rugarum sulci turpant : non languida frigent
 32 membra, nec effetos tardus fluit humor in artus.
 33 Ipse meos puro vultus sub fonte notabam,
 34 nec multis (si fons oris non blandior index)
 35 nec Lycidæ invideo. Quid si mihi vertice crines,
 36 quid mihi si fusco nigrescit barba colore ?
 37 Et vobis fama, et Veneri gratissimus idem.
 38 Me nymphae quoque, me Parnassia numina, Musæ,
 39 Musarumque pater, sacrum mihi nomen, Apollo,
 40 et Dryades me lascivæ petiere puellæ,
 41 et Chie, et gemini, pastorum musica, fratres.
 42 Tu me sola fugis dura, et connubia ludis,
 43 taedasque exstincti, et castos frustrasti hymenæos.
 44 **Nisa redi, thalamosque fugax ne desere pactos.**
 45 O quanto satius fastidia longa Nigellæ,
 46 atque indotalis paterer connubia Chies !
 47 Quid tum, si pauper Chie ? Et Virtus quoque pauper,
 48 mendicæque novem (totidem mihi numina) Musæ.
 49 Illam ego (me miserum !) dum te, et tua vota petebam
 50 perfida, jam sub portu, ipsoque in limine liqui.
 51 Sic nubem Ixion, nebulasque amplexus inanes,
 52 magnam animo cæli Reginam, ipsosque Tonantis
 53 sperebat thalamos : fugit levis illa per auras,
 54 et liquida in terras tenui dilabitur imbre.
 55 **Nisa redi, thalamosque fugax ne desere pactos.**
 56 Hic nobis Thamo generatus, et Iside nympha
 57 Thamisis ingenti Luddini moenia fluctu
 58 alluit, et penitus firmatum ad Tartara pontem
 59 indignatus, aquis furit ; atque immania late
 60 concitat undarum violento murmura lapsu,
 61 summa longus aqua spumarum defluit ordo.
 62 Aut, si rura animum, riguique in vallibus amnes,
 63 si silvæ capiunt ; mihi rus, mihi silva redundat ;
 64 atque idem minor, atque idem jam mitior unda
 65 Thamisis ipse pater felicia dividit arva,
 66 et quæ multa pecus surgentes tondeat herbas.
 67 Sola deest mihi, quæ pecudi, quæque imperet arvis.
 68 Huc ades ; hic herbae molles, hic ditia culta,
 69 hic ego perpetuo tecum consumerer ævo.
 70 **Nisa redi, thalamosque fugax ne desere pactos.**
 71 Est tibi namque domi pater improbus, improba mater :
 72 atque ambo assidue in pejus vestigia flectunt,

73 detorquentque pedes rectos. Sic omnia retro
 74 deterius ruere, inque malum sublapsa referri ;
 75 ut quando adverso pictum tenet amne phaselum
 76 anchora, si funem, et mordaces fibula nexus
 77 solverit, atque illum prona trahit alveus unda.
 78 'Nisa redi, thalamosque fugax ne desere pactos. '
 79 Cantando revocantur oves, haedique petulci,
 80 sibilaeque ipse canis vocemque agnoscit herilem,
 81 acer equus domino, parent armenta bubulco,
 82 tinnitu retrahuntur apes, et tecta fugaces
 83 nota petunt jussae, et media inter proelia sistunt.
 84 Tu vero (quis, Nisa, putet ?) tu surdior illis
 85 conjugis avertis petulantes cantibus aures.
 86 **Nisa redi, thalamosque fugax ne desere pactos.**
 87 Usque tamen fugis, et torvos obvertis ocellos,
 88 illicitosque (utinam nec possim credere !) lectos,
 89 foedosque (ah ! vereor ; nam cuncta veremur amantes)
 90 amplexus petis. Hic nostrum ad ludibria nomen
 91 (hei mihi !) ridetur. Tu, quam sim stultus amator,
 92 atque rudis, narras. Certum est deserta ferarum
 93 inter spelaea, et nigras formidine silvas
 94 malle pati, tristesque feris iterare querelas,
 95 et maria, et scopulos lacrimis, silicesque movere.
 96 Te fera, te scopuli immanes, te mitior ipsa,
 97 qua, nisi tu, nymphe, nihil est crudelius, unda.
 98 Et jam casurus majores porrigit umbras
 99 ipse etiam major, teneris sol mitior herbis :
 100 me tamen ignis edax, sacraeque in pectore flammae
 101 absumunt, et rupta intus praecordia lambunt."
 102 Dixerat, arbuteoque greges sub vimine clausit.

FUSCA ECLOGA. THYRSILIS, DAMON

S2_32 v.1 Stabat claviculis furcas amplexa seniles
 2 vitis, et ingentem effudit pastoribus umbram,
 3 Chamus ubi angustas tardo vix flumine ripas
 4 complet, decrepitoque pater jam deficit amne.
 5 Venerat huc primos miratus Thyrsilis ignes,
 6 et quos jam novit (nec jam quoque novit) amores.
 7 Atque illum pariter Damon comitatur euntem,
 8 multa senex puerum increpitans, si forte recentes
 9 aegro discutiat monitis e pectore curas.
 10 Usque tamen misero ingeminant, et pressa resultat
 11 flamma sinu, ignotusque fibras depascitur ignis.
 THYR.
 12 Quis mihi florentes media inter pascua matres,
 13 lascivosque potens oculus, quis fascinat agnos ?
 14 Oblitus pratorum aries, oblitus amorum,
 15 stat fixis in terram oculis, et pondere lassam
 16 plexa gravant frontem duplicatis cornua gyris.
 17 Illa gemellorum nuper celeberrima mater,
 18 immemor eximiae prolis misera, immemor herbae,
 19 languet, nec notis geminos balatibus agnos
 20 vel revocare quidem, vel respondere parata,
 21 sed pronam acclinat cervicem ; flaccida pendent

22 ubera, et ad fontem refluunt albentia lactis
 23 flumina. Deficiunt agni, nec ludicra laeti
 24 colliculos circum exercent, soliti ordine longo
 25 immemores matrum petulantia ducere pratis
 26 agmina, perpetuosque herbis percurrere gyros.
 27 Quis mihi florentes oculus, quis fascinat agnos ?
 DAM.
 28 Quod si sola, puer, gregis est tibi cura dolori,
 29 carpe ter intacto purum de caespite gramen,
 30 carpe tribus digitis, manibusque ad terga reflexis
 31 adversos specta zephyros. Tum gramina laeva
 32 sparge manu, ter sparge manu, qua noxius Eurus
 33 mordet, qua Notus, et numquam visae Oceano Ursae.
 34 Haec etiam terno ter misce murmura jactu :
 35 "Sic eat in ventos, quae nos premit, irrita pestis."
 THYR.
 36 Idem oculus pecudem, vereor, pecudisque magistrum
 37 perdidit. Idem oculus vos, et me fascinat, agni.
 38 Saepe mihi ignaro trudentur lumine fletus,
 39 saepe mihi intacto molles diaphragmate risus
 40 surgunt, et primo male suffocantur in ortu ;
 41 saepe etiam nullo exhalant suspiria motu,
 42 atque oculis iterum facies tranquilla serenis
 43 nescia miratur lucem, subitumque nitorem.
 44 Fervida saepe novis ignescunt pectora flammis,
 45 jamque repentino facies mihi fulgurat igne ;
 46 atque iterum gelido torpescunt membra veterno,
 47 pallidaque horrescunt, et qualia manibus ora.
 48 Sic cum primum Aries, Taurusve recluserit annum,
 49 saepe breves cum sole vices fluidissimus Auster
 50 mutat, deciduas nubes liquatur in undas,
 51 atque iterum micat, atque iterum denso abditur imbre,
 52 omnia mox etiam victurus nubila, Phoebus.
 DAM.
 53 Atque equidem timui, nec me metus iste fefellit :
 54 non te saga, puer, non te cantata profundis
 55 carmina sub tenebris laedunt, herbaeque potentes,
 56 sed tenerum primo pectus turbatur amore.
 THYR.
 57 An sit Amor, dubito, nec Amoris vis mihi, Damon,
 58 cognita, nec facies. Puerum tamen audio, penna,
 59 atque arcu cinctum tenero, laevique pharetra.
 60 Tu mihi, qui notas sensisti pectore flammis,
 61 dic quibus insidiis, qua te olim ceperit arte.
 DAM.
 62 Ah ! Miserande puer, non ille armatus acutis
 63 it jaculis, phraretrave humeros indutus acerna,
 64 qualis Penei comitata ad fluminis undas
 65 prima cothurnatis incedit Delia Nymphis,
 66 atque ursam jaculo squalentem, aprumve fatigat.
 67 Verum oculo latet, atque oculi curvamine tectus
 68 in teneras ignem immittit per lumina fibras.
 69 Saepe etiam blanda latuit sub voce Cupido,
 70 perque ipsas tacite in pectus dilabatur aures.
 71 Saepe coma implicitus torta, vel fronte serena,
 72 aut tenero ignaros risu, lacrimisve fefellit.

73 Sed numquam immitem jaculatur certius ignem,
 74 quam cum sub tumidis obscurus forte papillis
 75 clauditur : at si labra inter formosa resedit
 76 tectus, non illis quisquam me basia labris
 77 ferre, vel impresso moneat certare labello.
 78 Quod si forte illas fixo petis ore latebras,
 79 irruit, atque via tacite delapsus opaca,
 80 (heu !) non delendo totas premit igne medullas.
 81 At tu, care puer, nostram nisi spreveris artem,
 82 dic mihi quam nuper spectaveris ore puellam.

THYR.

83 Aut amor, aut ipsi similis mihi morbus amori est.
 84 Nam, Pani nuper dum sacro altaria thure
 85 fumant, arbuteoque greges sub vimine clausi
 86 abstinuere cibo, pratis effusa juvenus
 87 annua restaurant mistis convivia Nymphis,
 88 ipse agro forte errabam, qui fronte Triones
 89 spectat, et illota nomen sortitur ab ursa.
 90 Hic ego ludentem media inter robora Fuscam
 91 aspicio primus, primas miser imbibo flammam.
 92 Illa quidem dum me fixis spectabat ocellis,
 93 sensi equidem illabi radios, qualesque reflexus
 94 mittere sol primo assuevit sub vere calores.
 95 Nec tamen abstinui, nec tales sub nive flammam,
 96 aut tantum hac poteram facie sperare dolorem.
 97 Illi casta Venus sedit, Virtusque, Pudorque
 98 lactea perpetuo suffundens ora rubore,
 99 lumina, quae Geminos vincant, stellamque micantem,
 100 ultima quae caelis excedit, prima relucet.
 101 At cum labra labris sociarem, (ah !) quam mihi mentem
 102 tum, Damon, quos esse putas sub pectore sensus ?
 103 Sensit et ipsa dolos, puduit, mentemque decorus
 104 prodiderat rubor, et tacito suspiria flatu
 105 invitae exierant. Ex illo, saevior arsit
 106 mente furor, magnoque intus candescit ab aestu,
 107 qualis, ubi Siculo pressus sub monte Typhoeus
 108 eructat flammam, tonitruque immugit acuto ;
 109 nec mihi tuta dies, nec nox mihi libera somno.
 110 Luce instat, noctesque etiam mihi visa profundas
 111 adventare, iterumque ignita refigere labra,
 112 atque iterum notos Fusca inspirare furores.

DAM.

113 Ah ! Miser, agnosco veteris vestigia flammae,
 114 et mihi qui gelido desaevit corde tumultus.
 115 At tu ne tenero pugnes, puer, ausus Amori.
 116 Undae Amor immani, magnoque simillimus amni ;
 117 quem valido si coniecti premis obice saxi,
 118 eruit, atque undis latos stagnantibus agros
 119 obsidet, et pecudes, et flavas sternit aristas.
 120 Jam tibi firma aetas, apti jam lusibus anni ;
 121 tu modo, care puer, ne pronam dejice mentem.
 122 Ipsa etiam simili, nisi me vestigia ludant,
 123 vulnere turbatur, tacitoque exuritur aestu,
 124 et citius rapiunt, et celant doctius ignes.

MYRTILLUS ECLOGA

S2_33 v.1 Surgit praecisis rupes altissima saxis,
 2 et caelo minitans subjectis imperat arvis,
 3 discutiens nubes capite, et pede Tartara pressans.
 4 Infracti dorso venti tonuere, minaxque
 5 horrendum pelagus fremuit, sed lata profundo
 6 excepit maria alta sinu, lymphasque cavato
 7 molliter illapsas gremio convexa recondit.
 8 Saepe illic Nymphae furtivos leniit ignes
 9 Triton ; saepe greges illic, armentaque cogens
 10 sopitas Proteus mulcebat carmine phocas.
 11 Venerat huc miseros deflens Myrtillus amores,
 12 infelix puer, at cantu levibusque cicutis
 13 doctus, et Oceani tota notissimus unda.
 14 Illum turba frequens circum mirata canentem
 15 Nympharum sedet, et crudos miserata dolores
 16 solantur, placidisque levant incendia dictis.
 17 Flet tamen, et cymbae viridi projectus in ulva
 18 sic Daphnen miser, et tardos incusat amores.
 19 - Nulla mihi tanti, Nymphae, solacia luctus.
 20 Aut levet ipsa meos Daphne quos intulit ignes,
 21 aut si adeo indigni sumus, atque irascaris usque,
 22 usque adeo crudelis Amor sub pectore saevis,
 23 has, precor, has tumulum, Nymphae, concedite lymphas :
 24 his ego inexstinctos (sinitis modo) fluctibus ignes
 25 immergam, si fors tantos mare ceperit ignes,
 26 nec liquido aequoreas inter caream aequore lymphas.
 27 Scilicet exspectem, Damon dum fumidus illam
 28 excipiat stabulo, thalamove injecta Myconis
 29 (hei mihi !) pisciculis jussos misera induat hamos ?
 30 Jamque iras ferre, atque immitia jurgia discat,
 31 aut saltem dum blandisonis (ah credula !) Falsi
 32 Thyrsidis acta dolis, fidos contemnat amores,
 33 atque illi fulgent victrici tempora lauro,
 34 (heu dolor !) et spretis squalent mihi sarta salictis.
 35 Jam mihi, jam satius crudelem abrumpere vitam,
 36 totque uno pariter leto finire dolores.
 37 Non me monstra maris terrent, immania cete
 38 corpora, non curvi delphines, non tua, Proteu,
 39 imperia, informes passim per littora phocae.
 40 Non ipsum terret, vincens sua monstra, profundum :
 41 hoc Amor, hoc longe genitali immitior unda
 42 urit, et ingenti pectus depascitur igne,
 43 hoc ipsa immitem Daphne quae vincit Amorem.
 44 - Omne malum inveni, Daphne, te mitius, et quod
 45 aequora, quod terras tranat, caelumque profundum.
 46 Turbatae furerent nuper cum flatibus undae,
 47 ipse ego praecipitem lymphis me, et gurgite vasto
 48 submersi, si forte ardentis fluctibus ignes
 49 eruerem, exosamque tibi premerem aequore vitam.
 50 Sed medias inter pontus te mitior iras
 51 ad portum summis fluitantem advexerat undis.
 52 Quin me crescentes iterum restinguere flammam
 53 tentantem humanus medio tulit aequore delphin ;

54 attonitumque vehens, meritum illi, carmina, naulum
 55 exceptit, laetusque oneris prope littora vexit.
 56 - At tu nec precibus, nec carmine victa, nec ipso,
 57 (omnia qui vincit) cujus sum plenus, Amore.
 58 Non me, si nosses adeo, saevissima Nymphae,
 59 despiceres. Et me spretis Tritonibus ardent,
 60 neglectisque petunt Nymphae, Nereides undis :
 61 aemulus ipse mihi nequicquam carmina Thyrsis
 62 invidet, et toties cantando ad littora victus
 63 frustra iterum calamos tentat, Musasque rebelles.
 64 - Me quoque jam primo gelida sub rupe canentem
 65 audiit, et teneris indulisit praemia Musis
 66 undarum regina Thetis, quae condita mecum
 67 servo, duos oculis similes tibi, Nympha, pyropos.
 68 Est mihi, qua tumidas volventem ad littora moles
 69 Oceanum solitus Triton demittere, concha,
 70 concha auro, et niveis gyros circum illita gemmis,
 71 munera si tangunt. Sed nec te munera tangunt.
 72 - Ah Myrtille ! Quis hic invasit pectora tantus,
 73 quis tantus furor ? Has citius tibi carmine rupes
 74 flectes, hanc citius, quae ripae irascitur, undam.
 75 At rupes flere, et liquefactum frigore visae
 76 aera, guttasque e gelidis stillare cavernis.
 77 Aspice, ceu rauco spumosa ad littora fracti
 78 tristia cum gemitu praebent mihi murmura venti,
 79 nec tu mota tamen. Vastos mihi reddite fluctus,
 80 certum iterum lymphas, iterum tentare profundum.
 81 - Vos mihi, vos gelidae rupes, vos retia fixis
 82 nequicquam elapsos remis captantia soles,
 83 et tu, dum licuit, merito carissima nobis
 84 cymba, vale. Non te posthaec prope littora laetus
 85 saltantem lympa pariter saliente videbo.
 86 Non ego te recubans media, resonantia late
 87 aequora mulcebo cantu, ventosve tonantes.
 88 Vosque etiam rupes, levia, fluctusque sonoros,
 89 carmina, sed numquam Daphnen motura superbam,
 90 carmina grata valete. Et tu quoque inutile munus,
 91 concha vale, gemmaeque, vale immitissima Daphne.
 92 Vos mihi defuncto exiguum de caespite bustum
 93 Nymphae, surrigite, et supremum inscribite carmen :
 94 ipsa suam Daphne feritatem in gramine spectet.
 95 "Caespite myrtillus jacet hoc, tua crimina, Daphne.
 96 Quantula jam tanto superest ex igne favilla !"
 97 Dixit, et invitam protrusit in aequora cymbam.
 98 Arguto miserum gemuerunt murmure venti :
 99 illum etiam lacrimis remi flevere madentes,
 100 flebilis illum etiam Alcyon, fulicaeque sonorae,
 101 quaeque etiam salsos stillabant retia fletus.

LUSUS ECLOGA. THYRSIS, MYRTILLUS

S2_34 v.1 Forte greges uno pastorum laeta juvenus
 2 littore compulerant, cymbasque attraxit eodem
 3 piscantum pubes. Fuit illis nobile ripa
 4 certamen : Thyrsis Myrtillo (littoris iste

5 silvarum alter amor) Myrtillus Tyrside pugnat.
 6 Insignes forma juvenes, levibusque cicutis
 7 ambo, annisque pares, experti cantibus ambo.
 8 Ambo myrtetis tecti, prope littoris undam
 9 consedere, fluunt circum silvestria nymphae
 10 numina, et aequoreae Tritonum incendia divae.
 11 Illum pastorum, piscantum hunc agmina cingunt,
 12 myrtus utrique, utrique sonans admurmurat unda.
 13 Porrigit alta suas rupes cantantibus umbras,
 14 inque repercussum repulit sua lumina solem.

THYR.

15 Da mihi, siqua fides juranti, Cynthie, pacta
 16 quae nuper memori recitasti carmina lauro ;
 17 dum tibi jam facilis Daphne, jam mitior, ipsum
 18 vertice (qua potuit) prono veneratur amantem.

MYRT.

19 Et mihi pollicitus, modo amanti credimus ulli,
 20 Proteus, quo nuper placaverat aequora, carmen.
 21 Te delphin stupuit, Proteu, te aequabilis unda,
 22 te (tua regna) atrae passim per littora phocae.

THYR.

23 Viva mihi in sertis merito gratissima laurus,
 24 laurus Apollinea, et leviter pudibundi Hyacinthi.
 25 Jam mihi, pastores, vestri si cura poetae,
 26 jam mihi Phoebeco constringite tempora flore.

MYRT.

27 Ante alias me delectat Cythereia myrtus ;
 28 littora myrtus amat, mediis me lilia lymphis.
 29 Pontivagi, vobis si sit victoria curae,
 30 huic, juvenes, capiti Paphias appendite frondes.

THYR.

31 Pastores amat, ipse olim quoque pastor, Apollo.
 32 Admeti ipse greges Penei pavit ad undas.
 33 Tu quoque perpetuis sopito, Delia, somnis
 34 pastori furtiva alto fers oscula Latmo.

MYRT.

35 Quae te littoribus, quae tanta abstraxerat herba,
 36 Glauce, auxitque deos ? Quin te quoque fluctibus ortam,
 37 mollibus implicitam (prima ah cunabula !) Spumis
 38 dicimus, et jam tu tenerorum mater Amorum.

THYR.

39 Arcadicus me Faunus amat, me magnus Apollo ;
 40 laetos ille greges, variam hic promiserat artem.
 41 At si tu me, Nisa, pari dignaris amore,
 42 non Pan Arcadicus placeat, non magnus Apollo.

MYRT.

43 Et nostrum Proteus, et nostrum Glaucus amorem
 44 vincere, piscatu hic tentat, sed cantibus ille.
 45 Quod si tu nostro, Nerine, carperis igne,
 46 non Proteus nostrum obtineat, non Glaucus amorem.

THYR.

47 Sparsa domi maculis pretium est mihi carminis agna,
 48 non illam grege mutarim. Sunt pocula crebro
 49 plena Jovis furto, varias prodentia flammis.
 50 Jam tua, si vis, agna tamen, tua pocula, Nisa.

MYRT.

51 Par mihi cygnorum, et laevi mihi pocula concha,
52 pocula purpureo exterius fulgentia fuco,
53 pes illis niveus ceteo surgit ab osse ;
54 pocula, Nerine, tua sint, tua praemia cygni.

THYR.

55 Pronior en Phoebus (cantu desistite Musae)
56 lucem utrique secat divisam aequaliter orbi.
57 Antea quam globuloso humescant gramina rore,
58 arbuteis saturos claudamus finibus agnos.

MYRT.

59 En nimio, juvenes, albescunt retia sole :
60 frigidus in tenues aer jam liquitur imbres.
61 Jam satis est ; fixos, pueri, subducite remos,
62 colligite in solitos piscantes retia nodos.
63 Haec illi : at Nymphae lectis utrinque coronis
64 lauro illi, Paphia decorant huic tempora myrto,
65 et vario intexunt (ah dulcia praemia !) flore.

APPENDIX

COLLEGIIS REGALIBUS CANTABRIGENSI, AETONENSI,
HAS AEGIDII FLETCHERI PARENTIS OPTIMI CAMOENIS DICAT DEDICATQUE P. F.

S3_01 v.1 O quae Vinsori turres, Aquaduna superbas
2 suspicis, et subterlabentem vertice Thamum
3 despicias aethereo, Aonidum dulcissima nutrix,
4 cujus ab uberibus, cujus cervice rependens
5 lacteola emulsi sitienti flumina labro,
6 vosque adeo innocuae (mihi prima crepundia) Musae.
7 Tuque Helicon mihi regalis, blandissima Mater,
8 cujus ab ore sacro ruit Aonia Aganippe,
9 amne fluens placido, quam roscida mella loquentem
10 Pierides stupuere omnes, stupuere canentem,
11 tu mihi laeta fave : laxis siqua otia curis,
12 respice parva quidem, sed plusquam debita mentis
13 munera, quae noti cecinit nova fistula vatis
14 carmina, dum innatos animi depascitur aestus ;
15 qua pater externis Chamus vix cognita rivis
16 flumina demulcens regales alluit hortos,
17 templaque submissis veneratur regia lymphis.
18 Nota etiam veteris Chamus vestigia cantus
19 agnoscet : fors ipse pater, fors accinet ipse.
20 Ast ego tanta minor longe vestigia patris
21 colligo, difficilisque sequor non passibus aequis.
22 Hic ego perstreperos culices, udasque paludes
23 inter, et aeterna tectum caligine caelum
24 disperdo aetatem : gelidus praecordia sanguis
25 occupat, et laetas abigit de pectore Musas.
26 Hic mihi desuetae torpent sub corde Camenae,
27 et solidam gracili vix optant voce salutem.